

salvare, et significat Salvator : *Christum*; nomen *Christus*, a verbo græco χριστός, unde χριστός, significat *unctus*; itaque Jesus Christus idem est ac salvator a Deo unctus, scilicet in sacerdotem, prophetam et regem, quia Filius Dei factus homo est summus sacerdos, propheta et rex. A sanctissimo hoc nomine dicimur *Christiani*. 4º *Filium ejus unicum*; hæc verba secundam sanctissimæ Trinitatis personam per æternam generationem a Patre procedentem denotant. 5º *Dominum nostrum*, quia Christus ut Deus homo omnibus dominatur, nos redemit, ipsius sumus; est ergo noster Dominus.

3º. *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine*. Hic articulus enuntiat Christum ut hominem miraculose fuisse conceptum, et beatam Mariam eum concipiendo et pariendo mansisse virginem, juxta celebre Isaiae vaticinium, VII, 14 : *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium*.

4º. *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus est*. Hæc verba, quæ mysterium redemptionis nostræ continent, exprimunt Christum ut hominem passum fuisse, morte turpissima occubuisse et corpus ejus fuisse sepultum, sive prophetias hæc de ipso annuntiantes eventibus congruisse : circumstantia Pontii Pilati in Symbolo consignatur, ut omnes advertant nullam fraudem existere potuisse.

5º. *Descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis*. 1º *Descendit ad inferos*, id est, anima ejus a corpore per mortem separata, descendit ad loca inferiora ubi detinebantur animæ, et quorum triplex erat status, videlicet damnatorum, purgandorum et justorum purgatione non amplius indigentium. Tertius iste status dicebatur limbus. Anima Christi in hunc locum descendit, dum corpus ejus erat in sepulcro, et probabiliter animas in purgatorio detentas visitavit, ut eas recrearet ac consolaretur. Non verisimile est autem eam locum damnatorum perlustrasse. Ita Dens, t. 2. 2º *Tertia die resurrexit a mortuis*: quomodo Christus tribus diebus et tribus noctibus fuerit in corde terræ, Matth. XII, 40, explicavimus in Tractatu de Religione: surrexit, non vero suscitatus est a mortuis, quia

non aliena, sed propria virtute suam quam posuerat animam iterum sumpsit, ut prædixerat, Joan. V, 17, et corpori suo naturali vita univit.

6º. *Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Patris omnipotentis*. 1º *Ascendit*, non vero sublatus est, ut legitur de Elia, nec præcise assumptus, ut dicitur de B. Maria, quia eadem virtute qua resurrexit, ad cœlos ascendit, non secundum divinitatem, quæ cœlos nunquam deseruit, sed secundum humanitatem. Absolute tamen dici potest illum fuisse suscitatum, et in cœlos assumptum, ut in Act. I, 11, et II, 24, legitur, id de humanitate respectu divinitatis intelligendo. 2º Theologi communiter docent, cum S. Th., 1 part., q. 66, art. 3, per cœlos intelligendum esse immensum spatium supra sidera elevatum, divino splendore illuminatum ac decoratum, in quo animæ beatæ visione Dei intuitiva fruuntur et torrente voluptatis inebriantur. Hoc cœlum vocant tertium cœlum, scilicet post atmosphærarum et cœlum sidereum, et cœlum empyræum a particula græca εὐ, et verbo πυρ, *ignis*, quia splendor hoc spatium illuminans, repræsentatur ut purissimus et vivificus ignis. 3º *Sedet ad dexteram Patris omnipotentis*: cum Deus sit spiritus purissimus, non habet dexteram, nec sinistram: locutio igitur, *sedet ad dexteram*, non designat situm corporis, sed gloriam, honorem, majestatem et potestatem cum Patre æqualem. Est autem persona Christi ex dupli natura constans, quæ in hoc summo honore constituitur: ratione divinitatis illo nunquam caruit, sed ratione humanitatis ad eum elevata est.

7º. *Inde venturus est judicare vivos et mortuos*: 1º *inde*, id est de celo ubi sedet in gloria; 2º *venturus est*, ut describitur apud Matth., XXIV, 30, et XXV, 31 et seq.; 3º *judicare*, videlicet unicuique solemniter reddet secundum opera ejus, ex summa æquitate; 4º *vivos et mortuos*, quibus verbis comprehenduntur qui ab origine mundi usque ad ultimum judicium mortui sunt, et qui in ultima flagratione morientur, nam *elementa calore solventur*; terra autem et quæ in ipsa sunt opera exurentur, II Petr. III, 10; *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium*,

Hebr., ix, 27; *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Unusquisque statim post mortem judicatur, et est judicium particulare: sed de fide est totum genus humanum ad vitam inanissibilem revocatum, et in cœtu universalis coram Christo congregatum, solemniter judicandum esse, ut Christus, olim injuste damnatus, clarificetur, ut homo quoad corpus sicut et quoad animam convenientia supplicia vel præmia suscipiat, ut justitia Dei nunc saepè occulta manifeste appareat et ut quæque secreta omnibus manifestentur, ad solamen justorum et confusionem peccatorum. *Dominus illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium,* I Cor. iv, 5: unusquisque igitur, ut docet S. Th., Suppl., q. 88, art. 1 et 2, omnia opera sua in propria conscientia et omnia aliena opera in singulorum conscientia aperte videbit, cum omnibus circumstantis bonitatis vel malitiæ, unde suprema Dei justitia relucebit. Tenet insuper S. Th. peccata remissa etiam patescenda fore, quia Scriptura a generali hac manifestatione cordium nihil excipit, et tamen hanc manifestationem in ignominiam beatis non cessuram, sed potius in gloriam, propter poenitentiam quam fecerunt: sic hodie in encomiis Davidis, S. Magdalena, S. Aug., etc., peccata eorum absque ignominia publicantur.

Tempus quo ultimum fiet judicium prorsus nos latet: nam de die illo vel hora nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater, Marc. XIII, 32: Filius autem hunc diem nescire dicitur, eo sensu quod illum manifestare non possit, aut nescire vi humanitatis, quamvis illum re ipsa sciverit ut homo, sed vi divinitatis.

Quoad signa judicium universale præcedentia nihil certo sciri potest; que enim apud Matth. xxiv, leguntur « ad tempus destructionis Jerusalem et ad adventum quo Christus continuo Ecclesiam suam visitat, » referri possunt, ait S. Th., Suppl., q. 73 vel 75, art. 1. Quædam tamen ut verisimiliora et partim ut certa assignantur, v. g., 1º prædicatio Evangelii in universo orbe in testimonium om-

nibus gentibus, et tunc veniet consummatio, Matth. xxiv, 14; 2º quædam generalis apostasia: *Quoniam nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis,* II Thess. ii, 3: *Et Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra?* Luc. xviii, 8; 3º adventus et persecutio Antichristi qui venit in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus, et omni seductione iniquitatibus; quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, I Thess. iii, 8, 9 et 10. Circa illius ortum, patriam, tempus, ætatem, conditionem, nihil certi habemus: S. Joannes Damascenus putat illum ex fornicatione nasciturum, et veteres docuerunt eum ex tribu Dan oriturum, eo quod in Apoc. vii, tribus illa cum salvandis non numeretur. Notandum hæreticos aliosve perversos homines dici quandoque Antichristos propter eorum cum Antichristo similitudinem; v. g., in I Joan. ii, 18: *Nunc antichristi multi facti sunt.* 4º Durante persecutione Antichristi, Henoch et Elias apparentes prædicabunt: de Henoch enim legitur in Ecclesiastico, XLIV, 16: *Placuit Deo et translatus est in paradisum ut det gentibus pœnitentiam.* De Elia dicitur in Malachia, IV, 5: *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis, et convertet cor patrum ad filios et cor filiorum ad patres eorum, ne forte veniam et percutiam terram anathemate.* Matth. xvii, 11: *Elias venturus est et restituet omnia.* Conversio Judaorum prædicitur a B. Paulo, Rom. XI, 25 et 26. 5º Sol, luna et stellæ obscurabuntur: *Virtutes cœlorum commovebuntur, et tunc parabit signum Filii hominis in cœlo,* Matth. xxiv, 29. 6º Cœli qui nunc sunt et terra eodem verbo repositi sunt, igni reservati in diem judicij et perditionis impiorum hominum..... Novos cœlos et novam terram, secundum promissa ipsius expectamus, in quibus justitia habitat, II Petr. III, 7 et 13; Deus quippe apud Isaiam, LXV, 17, dixerat: *Ecce enim ego creo cœlos novos et terram novam, et non erunt in memoria priora.* Idem habetur in cap. seq., v. 22, et in Apoc. XXI, 1. Igitur cœli et terra non destruentur, sed igne purgati nova erunt et ad oblectamentum sanctorum inservire poterunt. 7º S. Hieronymus et alii docuerunt ut

verisimile ultimum judicium exercendum esse in valle Josaphat, quæ sita est prope Jerusalem, et hanc sententiam eruunt ex verbis sequentibus Joelis, III, 5 : *Congregabo omnes gentes et deducam eas in vallem Josaphat, et disceptabo cum eis ibi; et* §. 12 ejusdem capituli : *Consurgant et ascendant gentes in vallem Josaphat; quia ibi se-debo, ut judicem omnes gentes in circuitu.* D. Calmet et alii plures dicunt nullam existere in Palæstina vallem nomine Josaphat, et nomen hoc, significans hebraice judicium Dei, esse symbolicum, sicut vallem *concisionis* de qua in versiculo 14. Nihil ergo circa locum judicii certo concludi potest, et ex hypothesi quod in angusta valle exercendum sit, omnes judicandi intra limites vallis non necessario contineri deberent : vana igitur objectio ex nimia vallis Josaphat arctitudine desumpta.

8<sup>us</sup>. *Credo in Spiritum sanctum*, eodem modo ac in Patrem et Filium, quia est Deus sicut Pater et Filius : dicitur Spiritus quasi spiratus, quia per spirationem a Patre Filioque procedit, vel quia Deus purus est spiritus. Hoc nomen tertiae sanctissimæ Trinitatis personæ attribuitur, ut a duabus aliis distinguatur.

9<sup>us</sup>. *Sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem* : non dicimus, Credo in Ecclesiam, sed Credo Ecclesiam, scilicet eam esse. De illius notis et proprietatibus in speciali de illa Tractatu fuse diximus. Per sanctorum communionem intelligitur quamdam esse societatem et bonorum spiritualium participationem inter eos qui sunt in Ecclesia ; quam sic describit B. Paulus, I Cor. XII, 12 : *Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa; omnia autem membra corporis, cum sint multa, unum tamen corpus sunt, ita et Christus.* Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, etc.

Hæc communio consistit in participatione eorumdem sacramentorum, in unitate fidei et religionis, in unionе charitatis, in fructu indulgentiarum, sacrificiorum, suffragiorum, precum aliorumque bonorum operum ; et ad omnes extendit qui sunt in Ecclesia triumphante, militante et paciente, quatenus animæ in purgatorio detentæ a nobis

adjuvantur et sancti in cœlo nos adjuvant, etc. Qui plus in eam spiritualem societatem conferunt, ampliorem ex illa fructum percipiunt, et illa communium bonorum spiritualium participatio non impedit quin specialis sacrificii missæ oblatio plus ei proposito quo offertur, ut constat ex concilio Trident., sess. 22, de Reform. cap. 1; ex Bened. XIV, const. *Cum semper*, Bull. t. 1; ex Pio VI, bulla *Auctorem fidei*, doctrinam synodi Pistoriensis damnante, prop. 30.

Ab hac communione excluduntur quicumque infideles, apostatae, hæretici et schismatici saltem manifesti et excommunicati, non vero peccatores ad Ecclesiam pertinentes, exceptis fructibus qui in charitate fundantur.

10<sup>us</sup>. *Remissionem peccatorum* : id est, credo Ecclesiam habere potestatem remittendi omnia peccata ac pœnam peccatis debitam, per Baptismi et Pénitentiæ sacramenta, nec non per indulgentiam, et sicut extra Ecclesiam nulla est salus, nullam pariter esse peccatorum remissionem.

11<sup>us</sup>. *Carnis resurrectionem*. Dicimus, credo *carnis*, non vero hominis resurrectionem, ut ostendatur solum corpus humanum corrupti, dum anima remanet integra, et solum in ultima die, qua instabit judicium, suscitandum et iterum animæ uniendum fore. Dogma resurrectionis et futuras corporum tum beatorum, tum reproborum qualitates probavimus in Tractatu de *Actibus humanis*.

12<sup>us</sup>. *Vitam æternam*, id est, beatitudinem cœlestem quæ futura est æterna : simul indirecte profitemur pœnam damnatorum finem non esse habituram.

Additur *Amen*, vox hebraica idem significans ac *vere*, *certe*, *vel, ita sit aut fiat* : exprimit igitur quamdam fidei professionem circa omnes articulos enumeratos.

### § III.— De externa fidei professione.

In obligatione fidem exterius profitendi duplex existit præceptum : unum affirmativum, fidem exterius profitendi ; et alterum negativum, nihil contra fidem agendi.

Punctum primum. — *De præcepto affirmativo fidem exterius profitendi.*

Existere hujusmodi præceptum divinum constat, 1º ex *B. Paulo*, Rom. x, 9 et 10 : *Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris quod Deus suscitavit illum a mortuis, salvis eris. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem;* 2º ex *S. Aug.*, Serm. 179, n. 7 : « Quid prodest corde credi- » disse ad justitiam, si os dubitet proferre quod corde » conceptum est? » 3º *ratione*. Honor enim auctoritati Dei revelantis debitum exigit ut non solum assensu interno, sed et professione externa ei adhaereamus : æquum est ut homo ex anima et corpore coalescens, utrumque Deo subjiciat.

At fieri potest ut ad externam fidei professionem teneamur ex præcepto divino obligante *per se*, vel obligante *per accidens*, id est ratione actus alterius virtutis nobis alio præcepto divino impositi.

Divinum præceptum fidem exterius profitendi obligat *per se* :

1º Quando adultus societati christianæ per baptismum incorporatur, item quando fides sufficienter proponitur homini in infantia baptizato, sed usum rationis jam adepto, vel hæretico nuper converso : attamen jus divinum publicam fidei professionem non statim exigeret, si dilatio ad maxima vitanda incommoda aestimaretur necessaria;

2º Quando externa fidei confessio necessaria videtur ut quis morale periculum a fide deficiendi avertat, v. g., si, ex dictis aut factis aliorum, timore vel erubescens concutiatur;

3º Sæpe in decursu vitæ : fidelis enim qui raro fidem suam exterius significat, merito reputatur vel Deo et Ecclesiæ ejus non assentire, vel nolle testimonium fidei reddere. Huius autem obligationi evidenter satisfit per publicam officiorum religionis impletionem.

4º Præceptum illud generaliter obligat « quando per omissionem hujus confessionis subtraheretur honor

» Deo debitus et etiam utilitas proximo impendenda, » *S. Th. 2 2, q. 3, art. 2.* In casu utilitatis proximi, ut loquitur *S. Doctor*, præceptum de quo agitur, magis obligat *per accidens* quam *per se*, nisi spectetur quatenus honor Dei imponit obligationem impediendi ne alii vacillent in fide.

Variæ autem inde exsurgunt difficultates pro quibus solvendis sequenda statuemus :

1º Qui auctoritate publica etiam tyrannica interrogaretur de fide sua, eam simpliciter confiteri teneretur, quia secus Christum erubescet et honorem Deo debitum subtraheret, sive opponeretur 1º verbis Evangelii *Luc. ix, 26* : *Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua;* 2º *Innocentio XI*, qui sequentem damnavit propositionem : « Si » a potestate publica aliquis interrogetur, fidem ingenue » confiteri ut Deo et fidei gloriosum, consulo; tacere autem ut peccaminosum non damno; » 3º agendi rationi martyrum et confessorum omnium sæculorum ac communis theologorum opinioni. Ergo.

Attamen si quis de fide sua interrogetur propter fines ad illam non spectantes, v. g., ad detegendum utrum sit hostis, utrum teneatur solvere tributum catholicis impositum, etc., non peccat responsionem omittendo, sed caveat ne fidem neget.

2º Qui a personis privatis interrogatur, fidem suam confiteri non semper tenetur : nam fieri potest ut tacendo vel dissimulando, etiam coram multititudine, non habeatur tanquam Christum erubescens, sed tanquam interrogantem contempnens, atque ideo honor Deo debitus vel utilitas proximo impendenda non subtrahatur ; si, v. g., interrogatus audenter dicat : *Quid ad te? sentio quod volo, nullam rationem tibi debeo, etc.*; attamen si, habita ratione circumstantiarum, taciturnitas vel dissimulatio in Dei contemptum vel proximi scandalum vergeret, fides palam profitenda esset : id sequitur ex supradictis. Obligatio igitur fidem exterius profitandi ex jure interrogantis non oritur ; nam publica auctoritas sæpe non magis habet jus

quam privata talem exigendi professionem; sed ex duplice principio a S. Th. aliisque theologis allegato, nempe honore Dei et utilitate proximi.

3º Ad externam autem fidei professionem quilibet tenetur cum adest periculum ne populus a fide deficiat, vel ne in ea vacillet, aut ne alii inde sumpturi sint occasionem in apostasiam, hæresim, schisma, blasphemias, etc., labendi; vel demum si, ex ipsius silentio, judicandus sit, ob circumstantias, fidem deserere, juxta regulam juris 43 : *Qui tacet, consentire videtur*, v. g., ille cuius nomen fuit inscriptum in tabella eorum qui a fide recesserunt, statim ac tabella prodit, reclamare tenetur.

4º Si princeps vel magistratus infidelis aut hæreticus præcipiteret ut catholici nonnullis induerentur vestimentis quibus ab aliis distinguerentur, hi obedere non tenerentur; nimis enim vagum foret præceptum, ut inobedientes censemur Christum erubescere, et dici non posset honorem Deo debitum et utilitatem proximo impendendam per hanc inobedientiam subtrahi. *Sic etiam communiter theologi.*

Item, si per edictum præcipiatur ut omnes fideles sese prodant, cum multi sint occulti, nullus tenetur, præcise vi hujus præcepti, se palam facere.

Tandem licitum esse potest uti precibus vel pecunia ad impediendum ne quis a magistratu de fide sua interrogetur, quia ex una parte, hæc agendi ratio est quædam fidei professio, et, ex altera parte, tales concurrere possunt circumstantiae, ut nihil inde contingat injuriosum fidei, nec proximi religioni nocivum. Vid. *Bened. XVI, de Synodo diœces., l. 13, cap. 20, n. 11.*

Jam vero præceptum divinum fidem exterius profitendi obligat *per accidens* in sequentibus casibus.

1º *Ratione* charitatis Deo debitæ; catholicus videns Eucharistiam, sacras imagines, reliquias contemni, crucem everti, frangi, conculcari, etc., si hæc impedire possit, contradicere et fidem suam aperte confiteri debet; alioquin honor Deo debitus subtraheretur: tunc, non quidem ratione virtutis fidei, sed ratione charitatis erga Deum, has

injurias quantum potest impediare tenetur. Si vero timendi sit locus ne ipsius oppositio tales homines potius irritare, in proterviam et blasphemias inducere quam compescere debeat, tacere potest; imo et debet. *Ita communiter theologi*, quidquid in contrarium dicat *Concilia*. Ut cum vitæ periculo fidem confiteri teneatur, sufficit quod prudens a fulgeat spes obtainendi magnum gloriae Dei augmentum, puta si inde oritura speraretur multorum infidelium vel hæreticorum conversio.

2º Ratione officii fidem profiteri tenentur ii quibus incumbit munus alios edocendi ac in fide confirmandi. Eadem obligatio quandoque oritur ex sola charitate proximo debita.

3º Qui ortam vel mox orituram videt persecutionem, fugere vel se occultare communiter potest; Christus enim dixit, Matth. x, 23 : *Cum persecutio vos in civitate ista, fugite in aliam*. Ita generaliter docuerunt Patres et doctores contra *Tertullianum*, qui integrum composuit librum ad probandum fugientem in persecutione, se ostendere in fide inconstantem et vacillantem. Elias olim fugit Jezabel, S. Paulus fuga Damasci præposito se subtraxit; S. Polycarpus, S. Cyprianus, S. Athanasius et multi alii sancti viri fugerunt. Ergo.

Diximus *communiter*: nam si fidei confessio honori Dei vel utilitati proximi necessaria esset, fugere non liceret. Hinc qui curam habet animarum, persecutionem contra se tantum directam fugere potest, modo aliunde subsidia religiosa suo populo non sint defutura. Sed persecutionem sibi et populo fideli et communem fugere non posset, ob detrimentum populo inde obventurum: nam *bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis*, Joan. x, 11.

Seclusa autem necessitate atque proximi utilitate exter- na fidei professio tempore persecutionis, nedum necessaria, quandoque illicita esset; v. g., si quis temere se exponeret periculo tormentorum, quæ forsan tolerare non valeret; si per hanc intempestivam fidei professionem daret infidelibus occasionem peccandi, fideles persequendi, etc.

*Præter divinum fidem confitendi præceptum, de quo*

huc usque diximus, datur ecclesiasticum quo astringuntur, ex concilio Trid., sess. 24, de Reform. cap. 12, 1<sup>o</sup> provisi de beneficiis curam animarum habentibus, qui, intra duos menses a die possessionis, coram episcopo, vicario generali aut officiali « orthodoxæ sua fidei publicam facere » professionem, et in Ecclesiæ Romanæ obedientia se per- » mansuros » spondere debent ac jurare. 2<sup>o</sup> Provisi de canonicatibus vel dignitatibus idem facere tenentur, non so- lumen coram episcopo seu ejus officiali, sed etiam in capitulo. 3<sup>o</sup> Quicumque in patriarchas, primates, archiepiscopos et episcopos promovendi, in prima synodo provinciali in qua interfuerint idem facere debent, ex eodem concilio, sess. 25, de Reform. cap. 2. 4<sup>o</sup> Eadem lege tenentur omnes prelati religionum, ex Pio IV, et omnes promovendi in doctores, magistros, regentes et professores, ex Pio V, ut videre est apud *Concina*, l. 1, in Decal., de fide, cap. 13, n. 12 : *S. Ligorium*, l. 2, n. 11, etc. Verum hæc decreta in multis locis non fuerunt recepta, vel desuetudine fuerunt abo- lita aut mutata. In Gallia nunc ad solos episcopos in con-secratione sua, et canonicos in sua installatione reducta sunt in praxi.

Punctum secundum.— *De præcepto negativo fidem exterius profundi.*

Apud omnes constat existere præceptum non negandi fidem, obligans semper et pro semper : nam 1<sup>o</sup> Christus ait, apud Matth. x, 33 : *Qui negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo;* et B. Paulus, II Timoth. ii, 12 : *Si sustinebimus, et conregnabimus; si ne- gaverimus, etille negabit nos.* 2<sup>o</sup> Ecclesia semper detestata est et gravissimis poenis multtavit eos qui in persecutionibus fidem exterius tantum negabant, ut acerbissi- man devitarent mortem. 3<sup>o</sup> Vel fidem exterius negans, eam interius abjiceret, vel non : si prius, vera esset apos- tasia : si posterius, esset mendacium Deo valde injuriosum. Ergo.

Notandum fidei occultationem ab ejus negatione valde differre : fidem nunquam negare licet, patet ex dictis ;

eam vero occultare, quando non urget præceptum affir- mativum eam exterius confitendi, nullum est peccatum. Unde, seclusa intentione fidem negandi, hoc admittendum est generale principium quoad externa : *Vel verba aut si- gna, quibus utimur, nullam movent suspicionem de fide nostra; vel ex circumstantiis dant occasionem judicandi nos veram negare fidem, aut de illa erubescere.* In priori casu nullum est peccatum si præceptum affirmativum de fide exterius profitenda non urgeat, quia est mera fidei occultatio : in posteriori vero, adest fidei negatio vel erubescens saltem virtualis, et nulla ratione cohonestari potest.

Quod spectat ad communicationem ritibus hæreticis aut schismaticis, maxime ab ea semper abhorruit Ecclesia. Attamen, a Const. Martini V, licita est cum omnibus, nisi sint nominatim denuntiati, communicatio etiam activa in civilibus : in sacris autem, si agatur de hæreticis aut schis- maticis ecclesiam separatam constituentibus, communica- tio passiva permittitur : communicatio vero activa in ter- minis juris divini remanet, id est, prohibetur 1<sup>o</sup> quoties continent adhesionem errori etiam mere externo, seu ritui habenti aliquid falsi aut ab ecclesia reprobati; 2<sup>o</sup> quando inducit periculum seductionis; 8<sup>o</sup> quando scandalum fide- lium generat. Hæc enim omnia prohibet lex divina. Vide *Bened. XIV*, de Synodo diœces., l. 6, cap. 5.

Ex his principiis variae nascentur applicationes, quas singulatum indicare operæ pretium est.

1<sup>o</sup> Negat fidem, imo negat Christum qui negat se Chris- tianum esse. Christus futuram Petri negationem annun- tiatis non dixit, ut advertit *S. Aug.*, Tract. in Joan. 113, n. 2 : « *Discipulum meum te negabis; sed : Me negabis.* » Negavit ergo ipsum, cum se negavit ejus esse discipulum.» Idem dicendum est de eo qui negaret se esse *papistam*, aut Romanum, supposito quod interrogatio ad dignoscen- dam religionem fieret : si autem ad cognoscendam natio- nem vel patriam dirigeretur, negatio purum esset menda- cium.

2<sup>o</sup> Qui intuitu religionis interrogatus an sit Calvinista

vel Mahumetanus, affirmaret, fidem negaret: idem quippe est dicere se hæreticum aut Mahumetanum, quam negare se esse Catholicum aut Christianum.

3º Fidem *a fortiori* negaret qui ante idolum genua flecteret, thus adoleret, aliave religionis signa exhiberet, etiam hæc intus detestando; nam externæ illæ actiones ex natura sua, seu ex communi hominum usu et sensu religionem sapiunt: ergo ad idolum referri non possunt, etiam duntaxat exterius.

*Objicitur* quidem exemplum Naaman, qui ad fidem conversus licentiam obtinuit ab Eliseo, IV Regum, v, 18 et 19, cum rege Syriae, domino suo, templum Remmon ingrediendi et ibi cum illo adorandi. Sed prius asseruerat se holocaustum et victimam diis alienis non facturum: terram de Israel asportare volebat ut super illam Domino sacrificaret: non ergo licentiam Remmon adorandi statim petebat, bene vero, quod plerique docent interpres, ut sibi liceret, sicut prius, dominum suum in templum sequendi, brachium ei præbendi, cum illo ambulandi, standi, procumbendi. Hæc omnia exprimuntur per verbum adorare; tale autem obsequium, præsertim in eo qui palam noscitur ut solius Dei veri cultor, ad idolum non referatur. Ideo Eliseus dixit Naaman hoc deprecanti: *Vade in pace*, id est, hæc te non torqueant, ne habeas scrupulum. Vide D. *Calmet*, dissert. in hanc orationem Naaman.

Contra vero Daniel et ipsius socii statuam Nabuchodonosor adorare non potuissent, quia illa adoratio ut cultus religiosus petebatur; itaque extrema maluerunt subire supplicia quam ita veri Dei honorem prævaricari.

4º Si tyrannica potestas juberet ut catholici cœtibus hæreticorum vel schismaticorum, religionis causa, assisterent, prout in Gallia contigit annis 1792 et seq., potius moriendum esset, quia obedientia in iis circumstantiis esset adhæsio hæresi vel schismati. Eo sensu respondit Paulus V, a catholicis Anglis hac de re consultus an. 1606, et Pius VI, in brevi diei 13 martii 1792, ad clerum et populum regni Galliarum directo. Idem tamen Pontifex, consultus an liceret fidelibus genua flectere coram hostiis con-

secratis ab intrusis, respondit, die 1 aprilis 1794, id faciendum esse, « cum in iis (hostiis) contineantur vere, » realiter et substantialiter corpus et sanguis, una cum » anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi. Ne vero » in ejusmodi cultu præstante immiscere se videantur » catholici cum schismaticis, curabunt iidem catholici » occasiones declinare occursum schismatricorum, cum sacramentum deferunt. »

5º Qui ad vitandam persecutionem si gebant se assistere missæ aliis officiis, nihilominus gravissime peccabant; talis enim simulatio honorem Deo debitum subtrahit, populum scandalizat et habetur velut approbatio erroris. Unde Eleazarus valde laudatur in II Machab. vi, eo quod prætulerit mori quam simulare se manducasse de sacrificii carnibus, sicut rex imperaverat: *Patienter sustinens, destinavit non admittere illicita propter vitæ amorem.... Vita decessit, non solum juvenibus, sed et universæ genti memoriam mortis suæ ad exemplum virtutis et fortitudinis delynquens: et qui in persecutionibus accipiebant libellum quo significaretur eos, quamvis falso, idolis sacrificasse, vel edictis imperatorum satisfecisse, inter apostatas computati sunt. Ergo.*

6º Pius VI, in responsis ad diversa quæsita, datis die 1<sup>a</sup> aprilis 1794, prohibuit ne fideles absolutionem et communionem quovis anni tempore, etiam tempore paschali, a parocho jurato peterent, ne ad illum pro saeramentis Baptismatis aut Matrimonii adirent, « excepto tamen (ubi res sit de Baptismo) casu extremæ necessitatis, in quo non adesset alius valens baptizare, » ne munere patrini fungerentur; ne mulieres post puerperium benedictionem ab eo peterent: non vetuit tamen ne absolutio in articulo mortis ab hujusmodi sacerdotibus, deficiente quovis alio catholico sacerdote, reciperetur, *ut in Tractatu de Pœnitentia diximus.*

7º Tempa schismaticorum, hæreticorum vel infidelium ingredi licet, justis de causis, v. g., ad ea visitanda, ad videndas cæremonias, non vero ad implenda officia religiosa, sive sincere, sive ficte, quia ingressio templi, præ-

sentia corporalis ad cæremoniæ in eo exercitas non est ex natura sua protestatio religionis. Assistentia prædicationi ex sola curiositate, non est pariter communicatio in divinis, et, secluso periculo perversionis aut scandali, non esset prohibita. Hinc excusari possunt milites qui ad tempora hæreticorum certis diebus cum hæreticis ducuntur, ibique sermones audiunt: sed nullo signo manifestent se ritus hæreticos approbare, coenæ non participant, cum hæreticis non cantent nec orent, ac contra periculum perversionis se, quantum poterunt, obmuniant. Cœtus igitur legatorum vel magistratum diversos cultus profitentium, v. g., Lutheranorum et catholicorum, simul divinis officiis assistere non possunt, modo apud catholicos et altera vice apud Lutheranos: duo sponsi, unus catholicus, et alter hæreticus vel schismaticus, matrimonium, ut actum religionis, contrahere nequeunt ante parochum catholicum et deinde ante ministrum hæreticum, aut vice versa, etc.

8º Attamen « in Germania, inquit Busenbaum et post eum S. Ligoriū, audire conciones hæreticorum, deducere funus, assistere baptismō pro patrino, non habentur signa professionis fidei vel communionis cum hæreticorum sacrī. Unde, seclusis aliis, v. g., scandalo, periculo, prohibitione, et si ex juxta causa fiant, licent. » Si promittendum foret, ut in quibusdam locis, puerum cura patrini educandum fore in religione reformatorum, licitum non esset pro eo procuratione fungi, nec a fortiori catholicus se præstare posset ut patrinum. Nec probabilius prolem hæretici e sacro fonte suspicere potest, etiam quando ritus a ritu catholico non essentialiter differt, et nulla sit missio hæretica, nec officium paronymphi in matrimonio catholicorum exercere posset.

9º Ut vestibus aut signis infidelium alium usum non habentibus quam falsum exhibere cultum, quales sunt vestes in sacrificiis usitatæ, ut falsæ religionis professio haberetur, nisi jocose et derisorie fieret; item, uti vestibus etiam communib⁹, quæ continerent quemdam actualem cultum, ut si depictam exhiberent imaginem idoli, lunæ, etc. Secus vero adhibere vestes aut signa quæ nihil

hujusmodi præ se ferrent, nec determinata essent ad falsæ religionis professionem, videlicet quæ nationem vel quemdam personarum ordinem designarent: qui, v. g., toboleam albam (*turbau*) apud Turcas deferret, Mahometismum profiteri non ideo censeretur, nec qui flavo pileo apud Judæos in nonnullis locis consueto uteretur, censendus esset Judæus. Sic Busenbaum, Sanchez, Layman, Covarruvias, S. Ligoriū, etc., contra plures alios. Gravem tamen requirit causam Suarez ut hæc dissimulatio sit licita, quia habet saltem speciem mendacij.

10º Fatentur omnes non licere, etiam ad vitandam mortem, obtemperari ei qui ex odio vel contemptu fidei, aliquid de natura sua malum vel etiam indifferens exigit, quia nunquam propriæ utilitati nostræ consulere possumus cum detimento honoris Dei. Secus vero ipsæ leges ecclesiastice negligi possunt et omitti, ubi id necessarium est ad evadendum grave periculum. Unde qui per loca hæretica transiens grave timet incommodum si deprehendatur ut catholicus, carnibus die prohibito vesci potest ad dissimulandam fidem, ut periculum imminens, v. g., vitae, verberum, jacturæ bonorum, etc., præcaveat, non vero si sola derisio aut vexatio timenda esset. Ita communiter theologi, et ratio est quia esus carnium diebus prohibit⁹ non est essentialiter professio falsæ religionis, cum id etiam faciant gulosi et mali catholici, et multi legitimam habeant causam sic agendi. Si vero id in odium religionis catholicæ postularetur, graviter illicitum et fidei oppositum foret.

Idem dicendum est de omissione divini officii et missæ, de exercitatione operum servilium, mercatus, etc.

11º Quoad subministrationem auxiliorum in exercitium cultus falsi, omnes cooperandi modi, qui involvunt participationem ipsi cultui falso vel tacitam illius approbationem, sunt in omni casu prorsus illiciti. Qui autem hujusmodi participationem vel tacitam approbationem non involvunt, fieri possunt liciti ratione necessitatis proportionatæ ad gradum influxus, modo in contemptum veræ religionis non exigantur. Hæc ex principiis circa coopera-

tionem deducuntur. Hinc qui in ceteris religiosis infidelium, haereticorum vel schismaticorum januas aperiret et clauderent, organa aliave instrumenta pulsarent, metos canerent, campanas sonarent, etc., contra fidem peccarent, ut ex variis decretis supremæ Inquisitionis et pluribus constitutionibus *Bened. XIV* contra ritus Madurenses et Sinenses eruitur. Vide *P. Antoine*, edit. in-8°, t. 2, p. 300.

In eadem prohibitione generali comprehenduntur etiam qui falsorum deorum imagines ab infidelibus colendas pingunt, idola fabricant aut vendunt, templo ædificant, instaurant, mundant, decorant, etc.

Cum tamen posteriora hæc opera participationem cultui falso ejusque tacitam approbationem necessario non involvant, sicut priora, nobis videtur illa fieri posse licita si gravissima urgeret necessitas, et in contemptum veræ religionis non exigerentur.

#### § IV.— De vitiis fidei oppositis.

Fidei opponitur infidelitas, ut fert ipsius nomen : tripli autem modo existere potest infidelitas, vel quia nondum habita est fides, et est infidelitas simpliciter dicta ; vel quia fides accepta ex parte deseritur, et est haeresis ; vel quia fides totaliter deseritur, et est apostasia.

#### Punctum primum.— De infidelitate.

Tripliwise aliquis vera fide carere potest, vel quia de fide nihil audivit, et ipsius infidelitas dicitur negativa ; vel quia fidem sufficienter sibi propositam amplecti noluit, aut, data occasione, notitiam fidei comparare neglexit, et infidelitas ejus vocatur privativa ; vel quia, de fide sufficienter instructus, errorem fidei oppositum voluntarie tuerit, et illius infidelitas est positiva.

#### De peccato infidelitatis.

Infidelitas negativa per se non est peccatum : nam 1º Christus apud *Joan. xv, 22*, ait : *Si non venissem et locutus fuissem eis, peccatum non haberent : nunc autem*

*excusationem non habent.* 2º Inter propositiones *Baii*, a summis pontificibus Pio V, Gregorio XIII et Urbano VIII damnatas, reperitur sequens, n. 68 : « Infidelitas pure & negativa in his quibus Christus non est prædicatus, peccatum est. » Contradictoria est vera. Ergo.

Unde qui in hujusmodi infidelitate versantur, vel aliquid peccatum actuale habent, vel non : si prius, damnabuntur, non propter infidelitatem, quæ non est culpabilis, sed propter illud peccatum cuius remissionem sine fide, ad sensum antea expositum, obtinere non possunt ; si posterius, in eodem statu existunt ac infantes non baptizati. Cæterum advertendum est constare, ex probatis in *Tractatu de Gratia*, dari cunctis infidelibus gratiam saltem remote sufficientem, qua recte utentes fidem et conversionem ad Deum obtinerent si vellent : non nisi ergo sua culpa peribunt.

Non est dubitandum quin infidelitas, sive privativa, sive positiva, sit peccatum, et quidem ex genere suo gravissimum, cum Deo loquenti directe adversetur, et a voluntate pendeat, ut supponitur.

Inter infideles numerandi sunt, 1º pagani, a verbo latino *pago* sic dicti, quia idololatræ jussu imperatorum Christianorum ab urbibus expulsi, in pagos se recipiebant ut idola sua colerent. Sub eo nomine comprehenduntur omnes rei creatæ cultores, id est idololatre latissimo sensu, athei et deistæ qui nou fuerunt baptizati : hi omnes antea dicebantur gentiles ; 2º Judæi qui Messiam promissum semper exspectantes, cultum Mosaicum adhuc sequuntur ; 3º Mahumetani, qui libros Veteris et Novi Testamenti admittunt, Moysen et Christum habent ut prophetas, sed Mahumetem his majorem esse arbitrantur ejusque doctrinæ ac cultui adhærent.

#### De conversione infideliuum.

Quamvis infidelitas negativa per se non sit peccatum, sed effectus et aliquo sensu poena peccati, scilicet Adami, nihilominus constat datum fuisse præceptum a Christo

Apostolis eorumque successoribus prædicandi *Evangelium omni creaturæ*, Marc. xvi, 15 : vehementi igitur zelo flagrari debemus cuiusvis generis infideles ad fidem Christianam adducendi, persuasum habentes eos vix aliter salvari posse. Hinc laudabilis constuetudo in Romana Ecclesia perpetuo existens missionarios ad infideles per omnes universi orbis regiones mittendi.

Verum petitur a theologis an sola persuasionis via convertendi sint infideles, ita ut nunquam eos ad fidem amplexandam cogere liceat, et omnes affirmative respondent sequentibus innixa rationibus : 1º Decret. I. 3, tit. 42, cap. 3, § *Item*, et ibid. I. 5, tit. 6, cap. 9, ubi Clemens III ait : « Statuimus ut nullus invitox vel nolentes Judæos » ad Baptismum venire compellat. » Eodem sensu Nicolaus I respondit regi Bulgarorum eum hac de re consuliensi anno 866; 2º praxi Ecclesiæ, quæ via coactionis nunquam usæ est sive per se, sive per reges et imperatores Christianos, sed, e contra, eam plures reprobavit. 3º Sufficientem ad hoc non haberet potestatem, quia, *de iis qui foris sunt judicare non potest*. I Cor. v, 12. 4º Natura fidei, que est actus mentis, non vero corporis, veram prærequirit libertatem, et Christus dicendo, *Qui crediderit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur*, supponit unumquemque habere facultatem eligendi. Ergo. Attamen 1º principes Christiani prohibere possunt ne subditi infideles cultum idololatricum exerceant, in quantum legi naturali adversatur ; quia, vi supremæ auctoritatis, habent facultatem bonis moribus invigilandi et crimina verum Deum offendentia ac societatem scandalizantia impediendi : sic, plaudente Ecclesia, Constantinus Magnus et Theodosius idololatriam proscripterunt ; 2º infideles subditos cogere possunt ad doctrinam fidei audiendum, illis denegando jus in provinciis suis habitandi, vel magis tributum eis imponendo, justum tamen, vel gratias alias concessas recusando, etc.; sic Gregorius XIII, constitutione 92, statuit ut Judæi Romæ degentes semel singulis hebdomadis concioni de rebus fidei interesse deberent, sub pena interdicti cum fidelibus commercii ; 3º compellere

infideles etiam non subditos ut fidei propagationem non impedian, nam Ecclesia habet jus prædicandi Evangelium omni creaturæ per orbem universum : qui autem habet jus aliquod, eo ipso habet potestatem efficiendi, per se vel per alios, ut exæcutione illius juris non impediatur : ergo non repugnat principes Christianos tanquam Ecclesie ministros aut ipsi justum præbentes auxilium, violentias infidelium contra fidei prædicatores directas impedire vel repellere. Ita *S. Th.*, 22, q. 10, et generaliter theologi.

At prorsus illicitum et a spiritu Evangelico alienum foret missionarios cum armis vel militibus incedere, ut infideles ad audiendam fidei doctrinam compellerent; arma enim virorum apostolicorum debent esse patientia, pax, jejunium, vigiliae, castitas, charitas, veritas, mansuetudo, ut docet B. Paulus, II Cor. vi, 4 et seq. Unde verba Christi, Luc. xiv, 23, *compelle intrare*; sensu morali accipienda sunt, et intelligenda de compulsione per media suasionis.

*De commercio cum infidelibus et rituum tolerantia.*

1º Constat, ex supradictis, cum infidelibus in cultu eorum falso vel in cæremoniis ad illum attinentibus communicare illicitum esse. Attamen dicunt auctores illicitum non esse cum infidelibus communicare per quædam sacramentalia, v. g., eis dare aquam benedictam, eos admittere ad orandum ritu catholico. Quidam dubitant an licet eos tolerare in ecclesia dum celebratur missa, sed post offertorium. Verum, si turmis se immisceant, non videntur arcendi, quia, inquit *de Lugo*, communiter fructus speratur. Ostendimus in Tractatu de Matrimonio quid sentiendum sit de matrimonio cum infideli inito vel ineundo. Restat igitur ut de commercio civili quædam dicamus.

2º Secluso perversionis aut scandali periculo, in cunctis civilibus officiis cum infidelibus communicare licet : quod ipse B. Paulus agnoscit, dicens, I Cor. x, 27 : *Si quis vocat vos infideli, et vultis ire, omne quod vobis apponitur mandate.*

3º At jure canonico, Decreti 2ª parte, causa 28, q. 1,